

Mulifontanae dioecesi undecim: Stuttgard, Ludwigsburg, Groeningen, Leonberg, Bietigheim, Vaihingen, Durrmenz, Knittlingen, Boeblingen, Calw et Wildbad.

Earundem dioecesium specialium octo et triginta numerantur: Decanorum autem novem et triginta, cum et civitas et praefectura Tubingensis peculiarem decanum habeant, Stadt- und Amts-Specialen, quorum prior simul quartus est Professor Theologiae.

## §. 55.

*Secunda in  
ditiones cor-  
pori Duc.  
unitas, vel  
non unitas.*

Quum Duces inde ab Ereptione Ducatus ditiones insignibus ditaverint acquisitionibus, altera palmaria distinctio est earum ditionum, quae proprie corpus Ducatus, feudique Imperii, ceu partes integrantes constituunt, sive tempore Ereptionis ipsius jam extiterint, sive post eam quidem comparatae, sed vinculo interea perpetuo cum Ducatu copulatae sint, seu ut ipsis verbis Recessus, Landtagß- Abschied a. 1620. §. 3. loquar „welche gemeiner Landschafft Matricul „incorporirt, ein Mitglied des Herzogthums sind, „demselben einverleibt, auch aller Rechten, Frei- „heiten und Privilegien, damit E. E. Landschafft „begabt, fähig und theilhaftig, mit gemeiner „Landschafft heben und legen“ (a): vel quae ex altera parte à Corpore Ducatus hodiernum  
sepa-